



1666.

1. Braundmyllerus, Jacobus : Dissertationis ad L. Frater
a Fratre 38 ff. de consuet. instet. Confirmatus

2. Hoppe, Hermannus : De collatione bonorum.
1667.

1. Buxelman, Johannes : De retentione

2. Braundmyllerus, Jacobus : Commentatio ad prius.
proven. instet. an temporalis.

3. Braund, Ludovicus, de : De actionibus in rem et
personam et in specie de actionibus in rem civili-
bus.

4. Buxekhardt, Jacobus : Inuentio legis, si quis in
consuetudo 29 Cod. de Pactis

5. Marquart, Otto Christoph : De superioritate
territoriali civitatum imperialis quorundam
juris exercitio

1668

1. Bitterbeck, Heinrich de: De parvicidis vulgo
von Vater-Mordt
2. Palchovius, Otto Mauricus: De feudis et in specie
de modis acquirendi et amittendi, eorumque expli-
catione
3. Poch, Hermann: De obligationibus in genere
4. Hilling, Christophorus: Dissertatio juris Dca in gen-
ralis circa contractum mandatum consecrationem
5. Meier, Mathaeus: De arsecutionibus mes-
satorum
6. Michael, Johannes Georgius: De rebus sacris
7. Wackner, Othmarus: Disputatio inay. exhibens
considerationem auctoris juridicum

1669

1. Brandenburger, Jacobus : Consideratio mercatorum
juris

2. Brinck, Christian Philippus : De somno.

3. Wezelius, Andreas : De collectione legum Mosar.
Craon, Romanorum, Atticarum.

1
2
3
4
5
6
7

13



12542.

DISPUTATIO INAUGURALIS

De

COLLATIONE
BONORUM,

1666, 12

Quam,

PRÆSIDE DEO TER-OPT. MAX.

AUTHORITATE & DECRETO
Magnifici, Nobilissimi & Amplissimi
Fectorum Ordinis, in perantiqua
& celeberrima Rauracorum
UNIVERSITATE,

Pro

SUMMIS IN UTROQUE JURE HONORIBUS
Privilegiis & Immunitatibus
consequendis,

Publicæ disquisitioni submittit,

HERMANNUS HOPPE,
Embdanus.

Ad diem 28. Augusti, Anni M DC LXVI.

Horis locoque consuetis.



BASILÆ, Typis JOH. JACOBI DECKERI,
Academiæ Typographi.

DISPUTATIO INAUGURALIS

DE

COLLATIONE

. IONORUM .

PRÆSIDI

DEO TER. OPT. MAX.

FRANCISCO JOSEPHO

ARCHIDUCI, HEREDITARIO

AVSTRIÆ, in personis

et celebrissimæ

UNIVERSITATIS

PRO

SUMMIS ILLUSTRO JURE HONORIBUS

PRIVILEGIIS & IMMUNITATIBUS

CONSPICUÏSSIMIS

FRANCISCO JOSEPHO

HERMANNUS HOPPE

Medicus

Almae Matris, anni M DC LXXV

Hortis locode continetur



BRUNNÆ, Typogr. Jacobi Beckeri
Academia Typographica





I. N. D. N. J. C.

T H E S I S I.



Um verborum prior, potior verò rerum habenda sit ratio, *argum. l. 7. in fin. de suppell. leg.* Itaque de collatione bonorum acturi, antequam ad ipsam rei tractationem accedamus, vocabulum collationis ex origine breviter, & quasi per indicem declarabimus, ejusque nomen ab ambiguitatibus, ac variis significationibus, huc non facientibus liberabimus. Collationis nomen à verbo conferre derivationem suam trahere, apud omnes est in confesso, diciturque collatio, quasi in commune latio: conferre enim est aliquid in medium ferre seu contribuere. Varias ejus significationes utrumque jus nobis suppeditat, Civile & Canonicum. Pontificii juris authoribus collatio est assignatio beneficii Ecclesiastici vacantis, *cap. cum ad nostram fin. X. de Instit. cap. A Collat. II. de appell. in 6.* Jure Civili pro pluribus rebus significandis adhibetur: sumitur enim I. pro oneris seu muneris publici impositione, *l. 1. Cod. de Episc. & Cler. l. 6. Cod. de præscript. 30. vel 40. ann. II. pro dilatione temporis ac negotii peragendi, l. 9. ff. de spons. III. pro contributione alicujus pecuniæ ad opus publicum, vel ad communem Reipubl. vel Principis usum, l. ult. §. præterea. 25. ff. de munerib. & honorib. Sic Suet. in Nerone c. 28. collationibus efflagitatis provincias penè exhaustit. IV. pro contributione illa, quæ propter jactum rerum navis levandæ & periculi evitandi causâ instituitur, *l. 2. §. 3. l. 3. l. 4. §. 2. l. 5. §. 1. ff. de leg. Rhod. de lactu.* Et*

A

hæc collatio vulgò dicitur *avarie*. *Rosob. syllog. tit. 30. von avarie*
furanti en avarie. Hugo Grotius 3. Isag. 29. V. pro librorum
seu voluminum distinctione, ut liber authenticorum in novem
collationes dividitur. Rittersh. in præm. Novell. cap. 1. num. 19.
VI. pro literarum comparatione, Nov. 49. cap. 2. VII. Omis-
sis, brevitatis studio, aliis significationibus, quas videre licet apud
Lexicographos, pro confusione bonorum priorum cum hæ-
reditariis, arg. l. 8. Cod. h. t. Germanicè vocatur, Einwerffung der
güter. Rittersh. in Expos. Novell. part. 7. cap. 22. & hæc est hujus loci.

II.

Haftenus de Nomine. Collationis natura satis aptè exprimi-
tur, cum definitur confusio sive commixtio bonorum priorum,
vel quasi priorum cum hæreditariis, quæ fit inter libe-
ros (etiamsi succedant matri, vel aviæ maternæ, l. 14. l. 17. Cod.
h. tit.) ut ea omnia inter se partiantur ex æquo. *Consultiss. Dn. Wis-*
senb. in disp. sua de Collat. num. 2. Sive est actus, quo liberi hæredita-
tem defuncti parentis participare volentes, res suas à parente
profectas (quas tempore mortis in bonis ipsius parentis habue-
runt) cum cæteris defuncti parentis liberis communicant, ut
omnium partem debitam singuli in divisione ferant. Dicitur
actus, argum. l. 19. ff. de verb. signif. conferre enim est aliquid age-
re: sive enim fratres ac sorores bona sua cum fratribus ac sorori-
bus dividant; sive de conferendis iis caveant; sive quantum de-
bent conferre, tantò minùs ferant ex bonis paternis; sive etiam
fundum paternum dent in vicem ejus, quod conferre debent,
sive nomen paterni debitoris delegend, leg. 1. §. II. & seqq.
ff. h. t. sive alio quocunque modo collationis munere fungantur,
rectè agere dicentur. Quæ insuper adduntur in definitione, eo-
rum intellectus ex dicendis facilè apparebit.

III.

In disquisitione autem hujus materiæ, sequentia in primis
considerationi nostræ sese offerunt. 1. De origine collationis;
seu quo jure collatio sit introducta? 2. De causa efficiente col-
lationis, i. e. qui quibus conferant? 3. De tempore collationis
faciendæ, sive, quando & qua in successione conferendum?
4. De materia collationis oneri subjecta, putà, quæ & quan-
tum conferre debeant? 5. De forma, quomodo scilicet faciendæ
fit, ac

fit, ac fieri possit collatio? 6. Define collationis, & cur ea sit introducta? 7. Denique de remediis à jure introductis; quibus liberi ad bona conferenda, etiam inviti adiguntur?

IV.

Quod ergò primum membrum dissertationis nostræ attinet, collatio originem suam debet bonorum possessioni contra tabulas, quam prætor emendandi juris civilis causâ, legis videlicet 12. tabb. (ex qua liberi emancipati præteriti ab bona paterna non admittebantur, §. *emancipati*. 3. *Instit. de exhæred. lib.*) pollicetur liberis emancipatis præteritis, vocando eos & participes faciendo bonorum paternorum, cum liberis in potestate retentis. Quare, cum inde non levis nasceretur injuria & magna emergeret iniquitas, emancipatis sibi quæsitæ servantibus, & cum fratribus in bona communia succedentibus, Prætor, ut huic injuriæ & iniquitati mederetur, introduxit: ut emancipati bona propria, quæ, si emancipati non fuissent, patri acquisivissent, in communem patris hæreditatem inferrent, & cum suis communicarent. *l. i. in prin. ff. h. t.* Injuria ergò vel damnum suorum hæredum causa fuit & ratio, cur Prætor, æquitatis arbiter fieri ab emancipatis collationem jusserit. Introducta igitur est collatio bonorum jure prætorio: Longiùs verò producta responsis Jctorum, & rescriptis Imperatorum, æqualitatis inter liberos servandæ gratiâ.

V.

Et hæc de origine collationis. Jam videndum, qui quibus conferre teneantur, & cum vix alibi à juris interpretibus & legum conditoribus toties sententiis variatum sit, quàm in præfenti collationis materia, operæ pretium omninò erit, aliquid in antecessum de veteri collationis jure monere, antequam jus novum contexamus. Jure veteri collatio tantùm locum habebat in emancipatis, qui, ut diximus, impetratâ à Præto bonorum possessione contra tabulas, aut nullo testamento factò simpliciter ex capite *unde liberi*, cum suis concurrentes æqualiter cum iis participarunt bona paterna, *l. i. in pr. §. 5. ff. h. t. l. 9. Cod. eod.* & quidem secundùm edicti verba, emancipati præteriti tum demùm ad collationem cogebantur, si filii in potestate retenti, hæredes instituti, & ipsi contra tabulas bonorum possessionem pe-

tebant, non si eâ omisâ ex testamento hæreditatem amplectebantur: sed ex sententia edicti, etiam hoc casu esse conferendum Jctus Scævola respondit in *l. 10. ff. h. t.*

VI.

Et hæc ita se habebant. Emancipatis cum suis concurrentibus, nam emancipati, si erant soli, sibi invicem non conferebant, eò, quòd nulla inter eos esset inæqualitas & iniquitas; cùm singuli sibi acquirerent, & si quid uni plùs quàm alteri obtigisset, industriæ potiùs veniret imputandum. Nam tum demùm conferendum esse censuit Prætor, cùm alter alterum incommodo aliquo afficeret, *l. 1. §. 5. ff. h. t.* Quod inter emancipatos non fit; necquicquam obstante *l. 1. §. 16. ff. de conjung. cum emancip. lib. ejus.* cui respondet *Consultiss. & Tersiss. Jctus Wissenb. p. m. in alleg. disp. de collat. num. 4.* quem videre licet. Sui etiam inter se legi collationis non erant obnoxii, cùm nihil in iis esset inæquale, & omne quæsitum patri cederet, ita ut ne momento quidem temporis apud eos remaneret. *l. 78. ff. de acq. hæred. l. 1. prin. ff. 51. à parent. quis manumiss.* ut nec ascendentes, & illi qui sunt in utero, ut infra videbimus.

VII.

Sed hæc, ut dictum, jure veteri obtinebant, quæ jure novo aliquam acceperunt mutationem, ita ut omnibus descendantibus, nullo vel sexûs, vel graduum, vel etiam potestatis discrimine observato, conferendi necessitas incumbat: Conferunt enim primò emancipati (vel alio modo, putà dignitate, sui juris facti) fratribus & sororibus in familia & potestate retentis, *l. 6. 9. 18. C. h. t.* non solùm vivo patre natis, sed & posthumo suo testamentum patris agnatione rumpenti, *l. 18. Cod. h. t.* Emancipatus tamen emancipato non confert, *d. l. 9. Cod. h. t.* Exceptâ donatione propter nuptias & dote à parente profecta, quam emancipati etiam sibi invicem conferunt. *l. 17. l. 19. 20. Cod. eod.* Secundò sui heredes bona à parente profectâ, veluti dotem & donationem propter nuptias, tam suis, quàm emancipatis conferunt. *l. 4. l. 11. l. 17. l. 29. Cod. eod.* Et non solùm filii, sed & nepotes, & qui sunt ulterioris gradûs conferre tenentur. *l. 12. l. 17. Cod. h. t. Novell. 18. cap. 6.* Et quidem, si cum propriis Ihiis concurrant dotem vel donationem propter nuptias, pro patre vel avo datam, &

tam, & è contrario patrum & amitarum, avunculi & materteræ dotes & donationes propter nuptias fratrum fororumque liberis, *l. 19. Cod. h. t.* sed hoc imprimis hinc tenendum, omnes ita demum oneri collationis subjacere, quatenus sunt juris successores; *l. pen. & ult. ff. de dot. coll.* nam quod unus ex liberis dotis vel donationis titulo accepit, id conferre non tenetur, si repudiet hæreditatem, vel eâ abstineat. *d. l. ult. ff. de dot. collat.* Sic *in l. 10. Cod. h. t.* filia fideicommissum à patre codicillis relictum capiens, & abstinens ab hæreditate paterna, non confert dotem; quia jure extranei hoc fideicommissum capit, id est, eo prorsus modo, quo caperet, si extraneo relictum fuisset. Hinc nec Legatarii & fideicommissarii particulares conferre tenentur, nec illi, quibus mortis causâ aliquid relictum est; vel codicillis, *l. 10. C. h. t.* nam relicta in codicillis extraneorum potius, quam liberorum jure capiuntur, & post mortem demum eius, de cujus bonis agitur, acquiruntur.

VIII.

Videamus nunc de ascendentes, & his, qui sunt in utero. Et quod ad ascendentes attinet, de jure veteri res est expedita: Nam, cum eo jure solus pater, exclusâ matre, & reliquis fratribus, tam profectitia, quam adventitia, castrensia, & quasi castrensia filii in potestate retenti, jure peculii occupet, *l. 2. ff. de cast. pecul. §. 1. Inst. per quas pers. nob. acq.* necessum est, eo jure collationem cessasse: cum nemo sibi ipsi conferre possit Sed etsi filius fuerit emancipatus, collatio tamen locum habere non potuit, cum ejus bona pater, & post patrem mater occuparet, excluso avo & proavo, fratribusque defuncti, *l. 2. §. 15. ff. ad. Sctum Trebell.* Sed de jure Novellarum quaeritur: an hoc jure conferre teneantur, cum ex *Novell. 118. cap. 2.* statim post liberos defuncti parentes, & cum parentibus defuncti fratres vocentur? Sed verius est, nec novo jure inter ascendentes collationem locum habere, cum nec ratio supra *in th. 4.* habeat locum, & nullâ lege hoc sit introductum. Erubescimus autem sine lege loqui, *Nov. 18. c. 1.* nec etiam *in tit. ff. ubi ex professo de collationibus* agitur, fit ulla mentio ascendentium, sed descendentium tantum. Hujus juris ratio differentiae vulgò accersitur ex *l. 7. §. ult. ff. si tabb. test. exstab. l. 15. ff. de inoff. test.* in quibus LL. dicitur, non sic parentibus liberorum, ut liberis parentum hæreditates deberi: Parentes enim ad bona libe-

rorum ordine mortalitatis turbato, ratio miserationis admittit, liberos verò naturæ simul, & parentum commune votum.

IX.

Dicitur in thesi proxima, inter ascendentes jus collationis locum non habere, cui consequens est, collationem multò minùs inter collaterales & extraneos obtinere; cùm omne illud, quod capiunt ex testamento, simile sit donationi simplici, quæ non confertur, ut infra dicitur; si tamen descendentes cum ascendentibus, collateralibus vel extraneis concurrant, descendentes quidem inter se conferunt, ascendentibus verò, collateralibus & extraneis nihil conferre tenentur. *l. ult. Cod. comm. utriusque Jud.*

X.

Quod ad illos, qui sunt in utero, constat ex *l. ult. ff. h. t.* illis non conferri, licet mulier ventris nomine in possessionem fuerit missa. Nam aut filius est emancipatus, aut suus: Si filius est emancipatus, non potest ei conferre, quia emancipatus confert aut suo, aut emancipato, is autem, qui est in utero, non potest dici esse in potestate patris, nec emancipatus: si filius est suus non confert ei, qui est in utero, quia suus aut suo aut emancipato confert, is autem, qui est in utero nec emancipatus, ut dictum, nec suus est: posthumo verò præterito, postquam natus fuerit, confertur. *l. 9. Cod. h. t.*

XI.

Succedit nunc tertia quæstio: Quando, seu qua in successione collationi locus sit? Jure veteri collatio tantùm habebat locum in successione legitima, *l. 1. §. 8. ff. h. t.* in successione testamentaria non aliter, quàm si testator collationem præcepisset. *l. 1. 2. 3. 7. 9. & aliquot leg. seqq. Cod. h. t.* Jure verò novissimo in utraque successione, tam legitima, quàm testamentaria locum habet: præsumitur enim testator per oblivionem collationis præceptum omisisse. Omissa autem per oblivionem plerumque in jure nostro solent haberi pro expressis. *Perez. in C. h. t. num. 6.* Nec etiam testamentum facit cessare inæqualitatem, altero fortassè liberorum habente dotem vel donationem propter nuptias, aut aliud quid singulare, altero nullo munere affecto, *auth. ex test. Cod. h. t.* desumpta ex *Novella 18. cap. 6.* nisi testator, de cujus bonis agitur, collationem prohibuerit: Nam non est reprobanda

probanda inæqualitas descendens ex voluntate defuncti, qui potuit de bonis suis pro lubitu disponere, & ut constet ex *l. parenti 8. Cod. de inoff. test. l. ult. Cod. famil. ercisc.* possunt parentes inæquales liberis relinquere portiones, salvâ tamen legitimâ; licet enim parentibus suadeatur, ut inter liberos æqualitatem servant, *Novell. 22. cap. ult.* suasio tamen non est propriè virtus legis, nec adfert necessitatem: Lex autem necessitatis vim habet: nec exigimus expressa testatoris verba, quibus collationem prohibeat, sufficit ex argumentis & indiciis colligi posse, testatorem collationem fieri noluisse. Ex conjecturis etiam voluntas testatoris colligitur. *l. 39. §. 1. ff. famil. ercisc. l. 74. ff. leg. 1. l. 7. Cod. h. t. junct. l. ult. Cod. comm. utriusque Jud.* Aliter igitur Imperator noster facto testamento voluntatem patris de collatione admittenda interpretatus est, aliter veteres & priores legum conditores. Veteres enim verba defuncti sunt secuti, & ex verbis de collatione judicârunt: Justinianus autem verba non spectavit, sed mentem & sententiam.

XII.

Non solum ergò cum ab intestato, sed etiam, cum ex testamento succeditur, locum habet collatio, ut dictum: sed quæritur & controvertitur inter Doctores: Utrum etiam collationi locus sit, cum diverso jure succeditur, ab intestato videlicet & ex testamento? Nos affirmantium opinioni subscribimus per legem *17. Cod. h. t. Novel. 18. cap. 6. auth. ex test. Cod. h. t. & l. 6. ff. h. t.* correctam esse per dictam *Novell.* cum Doctoribus communiter in *d. auth. ex test. C. h. t.* statuimus. Iterum quæritur: An collatio habeat locum cum liberi tempore vel repudiatione exclusi ex primo capite, unde liberi, ex secundo, aut tertio capite, unde legitimi, aut unde cognati, admittantur? Et, an locus sit collationi, si testator decesserit nullo testamento facto, sed factis codicillis? Utrumque affirmatur. Vid. *Arnol. Vinn. in tract. suo de Coll. de l. c. 4. num. 10. de 2. cap. 9. per. tot.*

XIII.

Haftenus expositum, quid sit collatio: quo jure sit introducta: qui, quibus conferre teneantur? & quando, seu qua in successione collatio locum habeat. Ordo jam postulat, ut dispiciamus: Quæ bona sint conferenda? & quantum conferri debeat?

beat? In hoc ordine autem breviter videbimus, quæ bona legi collationis sunt obnoxia, & quæ immunia. Priusquam autem singula recenseamus, non inutile erit, præmittere definitionem & distinctionem peculiorum. Peculium dictum, quasi pusilla pecunia, sive patrimonium pusillum, definiri potest, quod sit universum illud jus, quod servus aut filiusf. habet. *l. 32. in fin. prin. ff. de peculio.* Peculiatum sunt tum servi, tum filii familiars. Peculium servi, definitore Tuberone, est, quod servus Domini permissu, separatum à rationibus dominicis habet, deducto inde, si quid Domino debetur. *l. 5. §. 4. ff. de pecul.* Peculium filii est, quod filius habet ut suum; non addimus permissu patris, cum multa in peculio habeat filiusfam. etiam invito patre, *l. ult. prin. vers. sive è contrario Cod. de bon. qua lib.* Et hujus peculii, quod habet filiusfam. (peculii enim servilis unum est genus) duo sunt genera: Est enim Paganicum vel Castrense. Paganicum rursus est vel Profectitium, vel Adventitium. Castrense, vel verè castrense, vel quasi. Profectitium est, quod à patre, vel contemplatione patris, ad filium proficiscitur, & pleno jure est patris. *§. 1. Inst. per quas pers. cuique acquirit.* Adventitium est, quod aliunde obvenit, & hoc olim pleno jure acquiratur patri. *l. 1. prin. ff. si à parent. quis manumiss. d. §. 1. Inst. per quas pers. cuique acq.* Exceptis nonnullis casibus, quibus jure veteri filiusf. bonorum adventitiorum fuit capax, *l. 52. prin. ff. de acq. hered. l. 16. §. 11. l. 50. ff. ad SCt. Trebell. l. 3. §. 7. ff. de minorib.* sed hodiè patri acquiritur, usufructu tenus, proprietate remanente penes filium. *d. §. Inst. per quas pers. l. 6. Cod. de bon. qua lib.* Castrense est, quod ex causa militiæ armatæ & occasione ejus obvenit, & hoc pleno jure pertinet ad filium, *§. 1. Inst. per quas ubiq. acq. ut & quasi castrense, quod ex militia togata obvenit.*

XIV.

Sed antequam perpendamus, quid juris in singulis obtineat, primò notandum, quòd quando loquimur de emancipatis, & ipsis tribuimus peculium, ut & aliis sui juris, nos abuti vocabulo peculii. Nam paterfamiliars peculium habere non potest, *l. 182. ff. de V. s.* & in emancipatis, atque iis, qui sunt sui juris, non solent discerni bona profectitia, Adventitia, Castrensia,

strenua, & quasi castrenua, unde in *l. ult. §. ult. Cod. de inoff. test.* dicitur, emancipatos non habere peculium, & in *l. 1. ff. si à parent. quis manumiss.* emancipationis beneficium est, jus quærendorum bonorum. Secundò observandum, quicquid provenit ex bonis ejus, de cujus successione agitur, etiamsi succedatur matri aut aviaæ maternæ, quod ad effectum conferendi, habendum esse pro peculio profectitio; cùm regulariter bona profecta à patre dicantur profectitia; à matre verò, vel avia materna adventitia.

XV.

Conferendum ergò id est, quod in communi hæreditate esset, nisi id inter vivos unus liberorum accepisset. Unde neque peculium castrense, vel quasi castrense, tam jure veteri, quàm novo, conferendum est. *l. 1. §. 15. l. 12. Cod. h. t.* Ratio etiam adstipulatur; nam conferuntur tantùm ea, quæ patri, si liberum in sacris patris mansissent, acquisivissent; constat autem bona castrenua, & quasi castrenua, nunquam patri fuisse acquisita. Filius enim in his habetur pro patrefamilias, *l. 2. ff. ad Scutum Maced. l. fin. Cod. de inoff. test.* Sunt autem peculii castrensis, Equi, arma, vestes, res ab hostibus captæ, ut & omnia mobilia filiofam. in militiam eunti data, *l. 4. Cod. famil. ercisc.* item ea, quæ occasione militiæ nactus est, ut est hæreditas commilitonis, prædium ex castrensi peculio emprum: prædium verò filiofam. militi à patre datum, non refertur inter peculium castrense. *d. l. 4. Cod. famil. ercisc.* Quasi castrenua sunt ea, quæ filiofam. causarum patronus, Magister artium liberalium, vel alius, qui stipendia de publico, ratione quasi militiæ, id est, militiæ togatæ acquirit. *l. 4. l. 8. l. 14. Cod. de Adv. liv. Jud. l. 8. Cod. de prox. sac. scrip. l. 50. Cod. de Episc. & Cleric.*

XVI.

Quod ad peculium adventitium, distinguendum est, inter jus vetus & novum. Jure veteri, ut dictum, bona adventitia pleno jure acquirebantur patri, cui consequens erat, illa esse conferenda, nam, ut dixi, illa sunt conferenda, quæ patri acquiruntur: sed postquam Imperator in *l. 6. Cod. de bon. qualib.* bonorum adventitorum proprietatem attribuit liberis, reservato tantùm patri usufructu, intelligi facillè poterat, quod

B

erat consequens, illa non venire in collationem, sed mortuo patre propria filiis manere, & præcipua esse. Verùm ne qua dubitatio superesset, tandem Justinianus iudicavit, utiliùs esse, id quoque peculiari constitutione exprimere, *l. ult. Cod. h. t.* ducto argumento à bonis castrensibus, quæ collationi non subjacent. Et hæc constitutio *l. ult.* etiam prodest emancipatis.

XVII.

Constat ex thesi superiore bona adventitia non conferri. Quæritur autem de fructibus adventitorum, an illi sint conferendi? Distinctione mihi res videtur expedienda, utrùm nimirum ususfructus bonorum adventitorum patri acquiratur, quod regulariter fieri solet, an verò remaneat apud liberos, ut in *casu auth. excip. Cod. de bon. quæ lib. desumpta ex Novell. 117. cap. 1.* item in *casu. auth. item hered. eod. desumpta ex Novell. 118. cap. 2.* Priori casu fructus esse conferendos: posteriori non item, affirmo. Ratio distinctionis membri prioris ex superioribus facile reddi potest; nam diximus superiùs, id esse conferendum, quod in communi hæreditate esset, nisi id unus liberorum inter vivos accepisset, constat autem ex *l. 6. C. de bon. quæ lib.* usumfructum bonorum adventitorum patri acquiri. Ratio diversitatis membri posterioris hæc est, quod hoc casu neutrum, nec proprietas, nec ususfructus ad patrem pertineat, uti ex textibus modò citatis patet. Sed hujus peculii adventitii solidum ac plenum dominium filius habet, atque ad similitudinem castrensis, & quasi castrensis peculii, omnem in eam rem habet facultatem, *l. 7. Cod. de bon. quæ lib.* scilicet administrandi, & inter vivos de ea disponendi, *arg. Nov. 117. cap. 1. §. f.* non etiam in ultima voluntate, *l. penult. Cod. qui test. fac. poss.* omnem ergò facultatē, i. e. penè omnem, nam testamenti facienda potestatem non habet. Sed è diverticulo in viam. Dictum fructus peculii adventitii, cujus ususfructus patri acquiritur, esse conferendos. Temperanda tamen est hæc doctrina, ut perdat officium suum his duobus casibus, I. si fructus sine dolo malo consumpti fuerint, *arg. l. 1. §. 23. l. 2. §. 2. ff. h. t.* II. Si pater usumfructum omiserit, aut filio simpliciter donaverit, ut in *specie. l. 6. §. 1. vers. sin autem. Cod. de bon. quæ lib.*

XVIII. Cùm

XVIII.

Cum jam ex superioribus constet, peculium castrense, quasi castrense & adventitium jure novo non esse conferendum, superest ut videamus: Quid juris in bonis profectitiis obtineat? Bona profectitia esse conferenda, docet nos *l. ult. Cod. h. t.* nullo neque sexus, neque ejus, qui confert, aut cui confertur, adhibito discrimine; cum verò non omnia in collationem veniant, etiamsi testamento non sit remissa collatio, videbimus, quæ bona profectitia ab onere conferendi sint immunia, & quæ collationi obnoxia. Inter bona profectitia legi collationis obnoxia sunt Dos & Donatio propter nuptias, & quidem ex rescripto Gordiani Imperatoris in *l. 4. in prin. C. h. t. filiafam.* fratribus in potestate retentis non modò profectitiam dotem, sed etiam adventitiam confert; fratribus verò emancipatis profectitiam tantum, non etiam adventitiam, *d. l. 4. in fin.* sed ex Justiniani constitutione in *l. ult. Cod. h. t.* fratribus, qui in potestate patris morientis fuerunt, filia dotem adventitiam non confert. Et ex hac *l. ult. Cod.* etiam emancipati suis tantum conferunt profectitia, quæ quæsiiverunt ante mortem patris, & habuerunt tempore mortis ejus, deducto ære alieno, cum ex *l. 6. Cod. h. t.* tam adventitia, quàm profectitia conferenda erant. Et confertur non tantum profectitia, sed & quasi profectitia, data videlicet à matre, aut avo materno, quæ aliàs vocatur adventitia, & profectitia dicitur, quæ provenit à patre, vel avo paterno: adventitia, quæ à matre vel avo materno.

XIX.

Nec tantum Dos data, sed & promissa dos conferenda. *l. 1. §. 1. ff. de Collat.* Data quidem confertur re, id est, confunditur cum bonis paternis, ita ut ejus partem fratres accipiant, *l. 8. Cod. h. t.* si scilicet filia dotem exegerit; nam si dos est apud maritum, tum confertur remissione, tantò minùs ex bonis paternis capiendò: non enim cogitur filia, dotem conferre obnoxia, actione institutâ dotem à marito repetere, & ita conferre; sed confert dotem, ut diximus, remittendo tantum ex bonis paternis, quantum in dote est, quam conferre debet. *l. 5. Cod. h. t.* Promissa dos confertur per cautionem defensionis, seu liberationis; hoc est, filia cavet iis, cum quibus succedit, eos

defensum iri adversus maritum, si tanquam hæredes ab eo dotis promissæ nomine conveniantur, *l. 2. C. h. t.* & hæc defensionis cautio est insignis & celebris, de qua plures exstant leges aliæ. *l. 1. §. 9. l. 7. prin. ff. de dot. preleg. l. 20. §. 2. ff. famil. ercisc. l. unic. §. 10. eod. de rei uxor. act. l. 4. ff. lib. leg.*

XX.

Dictum filiam dotem conferre debere, vel tantum remittere de bonis paternis, quantum conferre debet, *l. 5. C. h. t.* Quid verò, si dotem filia recuperare nequiverit, marito facultatibus lapso? Ulp. in *l. 1. §. 6.* Cajus in *l. 2. ff. de dot. coll.* respondent, integram dotem non conferri, sed id tantum, quod ad mulierem pervenire potest. Sed hoc Justinianus, adhibitâ distinctione emendat in *Nov. 97. cap. ult. auth. quod locum. C. h. t.* quæ talis est: aut culpâ mulieris actio inanis facta est; aut nullâ mulieris culpâ argui potest. Priori casu cogitur dotem conferre integram fratribus suis, vel tantò minùs auferre de bonis paternis, quantum conferre debebat: Inanem verò seu nudam actionem conferre volens, non erit audienda. Culpâ autem ejus arguitur, I. si fuerit sui juris. II. si pater consenserit repetitioni dotis. III. si ampla dos fuerit. Posteriori casu non item, ut & si fuerit in potestate, & amplam dotem non habuerit: liberatur ergò his duobus casibus, actionem pro dote conferens. Ratio diversitatis redditur à Rittersh. in *Expos. Novell. part. 5. cap. 5. num. 8.* quia prioribus casibus est, quod imputari possit mulieri, quæ cum posset ac deberet tempestivè agere, ad rependam dotem cessavit: atque ita suâ culpâ inanem fieri passa est actionem: quæ non fuisset exinanita, si in tempore, quod omnium rerum est primum, venisset, sibi que vigilâset: Posterioribus casibus nihil imputari potest filiæ, quæ in potestate fuit, sed potiùs ejus patri, cujus culpa & cessatio non debet filiæ nocere.

XXI.

Dotem & Donationem propter nuptias venire in collationem jam probavimus: Videamus de sumptibus nuptialibus, an & illi sint conferendi? Et est consentiens interpretum sententia, sumptus nuptiales non esse conferendos. De vestibibus verò,

verò, & aliis ornamentis muliebribus non est omnibus eadem
sententia. Mihi probatur eorum opinio, qui statuunt, nec hæc
esse conferenda, nisi de his aliud dixerit pater. *Gudel. de jur. no-
vis. lib. 2. cap. 19.* Post obitum autem patris, fratres reliquis
fratribus impensas nuptiarum, vestes & alia tribuere, sicut pa-
ter, si superstes fuisset, non tenentur, *argum. l. 3. §. fin. l. 15. de
munerib. honorib.* sunt tamen casus excepti, quibus ne quidem
dos confertur. I. Si liberi dote contenti, se abstineant ab hæ-
reditate paterna, *l. 1. prin. ff. de dot. Coll.* dummodò reliquis non
præjudicent in legitima, semper enim (nisi justè fuerint exhæ-
redati) liberis legitima debet esse salva. *auth. unde si parens Cod.
de inoff. testam.* II. Si parens expressè collationem dotis pro-
hibuerit, *auth. ex test. Cod. h. t.* nec cogitur filius conferre do-
tem uxoris suæ; quia etsi in bonis mariti sit, mulieris tamen est:
imò etiamsi eam maritus morte uxoris lucratus sit, propter
onera matrimonii, quæ sustinet, præcipuam tamen eam ha-
bere debet. *l. 1. §. 20. l. 3. §. 3. ff. h. t.* Nec filius emancipatus
dotem, quàm filiæ suæ dedit, conferre tenetur, *l. 4. ff. h. t.* quia
bonis ejus abcesit: & hoc quidem constante matrimonio, *l. 71.
ff. de evict.* nam soluto matrimonio, & dote reversâ ad patrem,
communiter Doctores assentiuntur *Accursio in l. 6. ff. h. t. pa-
trem* debere illam conferre fratribus.

XXII.

De Donatione propter nuptias filiofam. facta eâ conditione,
ut exambiret nuptias foeminae nobilis, quæ alioquin abnuif-
set conditionem nuptialem, an sit conferenda, quæritur? Af-
firmatur in *l. 17. C. h. t.* nam hæc donatio est ejusdem naturæ,
cujus est donatio propter nuptias. Nec obstat, quòd Fach-
næus *§. controv. 82.* objicit, illam donationem non descendere
ex necessitate obligationis, sicut dos & donatio propter nu-
ptias. Nam ad hoc responderi potest cum Vinnio in *tractatu
suo de Collationib. cap. 13. num. 12.* Multa liberis donari solere ob
aliam causam, citra donandi necessitatem, quæ nihilominus
sunt conferenda, qualia sunt, quæ iis dantur, ut negotiatio-
nem aut opificium aliquod commodius exercere queant; suf-
ficit enim ad onus collationis, non simpliciter, sed ob causam
donatum esse. Nec dos & donatio semper habent adjunctam

dandi necessitatem, nam nec pater filiam locupletem aut emancipatam dotare cogitur, l. 5. §. 7. ff. de agnosc. lib. 1. §. 12. l. 51. ff. de jur. dot. Contrarium obtinet in donatione remuneratoria, quam pater filio in remunerationem fecit, propter singularis cujusdam pietatis officia; nam filius illam donationem meruit, non ut filius, sed ut extraneus: Extranei autem non conferunt, l. 10. C. h. t. accedit, quod donatio simplex non est conferenda (ut modò probatum) multò minùs illa, cui causam dedit eximium aliquod filii in patrem meritum.

XXIII.

De Donatione simplici facta filio, tam suo, quàm emancipato, an sit conferenda? quæritur: an sit dubitandi quod ad suum præbet l. 1. §. 1. ff. pro donato, in qua donatio filio facta dicitur nulla: sed non obstante hac ratione veriùs esse existimo, donationem simplicem non esse conferendam, & dictæ l. 1. §. 1. respondeo, licet donatio talis sit nulla, silentio tamen & morte patris eam confirmari, l. 25. C. de donat. inter vir. & ux. Fundamentum assertionis nostræ ponitur in l. penult. §. 1. C. h. t. l. 18. C. famil. ercisc. Excipiuntur tamen nonnulli casus in d. l. penult. quibus etiam donatio simplex filio facta, collationi subjacet. I. Si hanc legem donationi suæ dixerit donator. II. Si necessitas æqualitatis inducendæ locum faciat collationi, nempe reliquis liberis dotem vel donationem propter nuptias conferentibus. Sed quid respondebimus l. 13. C. h. t. quæ dictis legibus, pro sententia nostra confirmanda adductis, graviter adversari videtur, his verbis. *Nam si fundus filie familias tibi constituta à patre donatus est, cum sorore patri communi succedens, eum præcipuum habere contra jura postulas.* Celeberrimus ac consummatissimus J. C. tus Wissenbachius p. m. in disp. sua de Coll. num. 12. quinque interpretum resolutiones recenset, ex quibus omnibus d. loco probat sententiam Cujacii, 3. obs. 30. Qui l. 18. Cod. famil. ercisc. refert ad causam testati, l. 13. ad causam intestati, ita ut ab intestato hæredes donationem conferant, non verò ex testamento: sed cum acutissimus ille legum interpres postea videret, nihil reperiri in d. l. 18. C. famil. ercisc. quòd non ad causam intestati æquè atque ad causam testati referri possit, rejectâ priori sententiâ respondet in

det in Comment. ad *d. l. 18. C. famil. ercisc. d. l. 13.* non debere accipi de donatione simplici, sed de donatione, quam dotis causâ filia fecerit pater. Quæ responsio mihi etiam videtur arietem sustinere posse. Nam quod nonnulli respondent in specie *d. l. 13.* fundum filia à patre fuisse donatum, id est, in peculium concessum, id dicto loco Dn. Wissenb. doctè & nervosè refutat, & ad reliqua, quæ huic sententiæ obstare videntur, respondet.

XXIV.

Donationi simplici regulariter accensentur sumptus, pietatis causâ in studia filiorum à patre, *l. 20. §. 6. l. 50. ff. familia ercisc.* vel matre, *l. 34. ff. neg. gest. l. 11. Cod. eod.* subministrati, ut & expensæ, pro dignitate & honore filii, puto pro gradu Doctoratus, Magisterii, & similibus, subministratæ. Æquum enim est, ut has lucretur filius, cum onera dignitatis sustineat, onera namque honoribus sunt conjuncta. *l. 1. §. 15. & seq. ff. h. t.* Dixi à patre subministrati; nam mortuo patre, si filius ad honores adspirare velit, de propriis sumptibus hoc faciat, necessum est: Ex communi enim hæreditate hæredes illas suppeditare non tenentur. *argum. l. 39. §. 3. ff. famil. ercisc.* Ex cujus *l. §. 3.* etiam probatur (ut hoc obiter addam) fratres, mortuo patre, non teneri fratri sumptus, studiis cœptis continuandis necessarios, subministrare: Excepto casu, quo omnium bonorum communionem habuerint, omnibusque communicatis aliquandiù vixerint, nec à se invicem rationes exegerint, non si tantum paternæ hæreditatis fructus communicaverint. Eiusdem conditionis sunt libri studiorum causâ empti filio: sunt enim quasi castrensis peculii; sicut in castrensi peculio computantur arma, equi & id genus alia eunti ad militiam comparata, *l. 11. ff. castr. pecul. l. 1. C. eod. l. 14. C. famil. ercisc.* Non tamen sine varia & multiplici exceptione accipi debet, quod diximus, sumptus studiorum non subjacere legi collationis, nam I. fallit, si pater animo credendi filio sumptus subministraverit. *d. l. 50. ff. famil. ercisc.* II. Si ultimâ voluntate hoc præceperit. III. Si luxu nummos subministratos filius prodegerit, *l. 1. §. 2. 3. l. 2. §. 2. ff. h. t.* quia non sunt impensæ studiorum, quæ ea non juvârunt, sed impediverunt. Et hîc patris voluntas cessat,

cessat, neque ex his expensis decus, neque præsidium, vel resp. vel cohæredes exspectant. Atque ita deficit causa favoris & privilegii. Excipit tamen Busius in *l. 10. ff. b. t.* ut filius non teneatur, si hi sumptus respectu bonorum paternorum modici sint. IV. Si sumptus modum facultatum paternarum excedant, ita ut reliqui liberi, legitimam salvam habere non possint. V. Si filio bona aliunde suppeditant, eorumque penes patrem fuit administratio, sumptusque studiorum causâ filio subministratos, in rationem accepti, & expensi rerulerit. *l. 34. ff. neg. gest. l. ult. ff. hered. petit.* Cæteras exceptiones, qui videre cupit, adeat Hartm. Pist. *l. quest. 19. per tot.*

XXV.

De lucro, quod filius operâ & laboribus suis, è re & pecunia patris acquisivit, an illud sit conferendum, non immeritò quæritur? Sunt qui affirmant; sunt qui mediam sententiam eligunt, & dimidium lucri filio assignant, tanquam adventitium, alterum dimidium communicandum relinquunt hæredibus. Mihi juri nostro conformior illorum opinio videtur, qui totum illud, quod filius occasione pecuniæ à patre acceptæ, lucratus est, conferendum autumant: Nam quicquid acquirit filius è re & pecunia patris, id censetur jure peculii profectitii, §. 1. *Inst. per quas pers. cuique acq. profectitia* autem collationi esse obnoxia, in confesso est apud omnes. Itaque si dicamus, lucrum illud eo, quo diximus, modo esse dividendum, oportet nos fingere, societatem inter patrem & filium fuisse contractam, hæc lege, ut ille sortem, hic operas conferret. *Celeb. & Consult. Dn. Wissenb. b. m. in disp. sua de collat. num. 11.* Quod ad militiam sive officiû, vel munus aliquod pecuniâ patris emptum attinet, distinguendû est, an illud vendi, & in hæredem transmitti possit, vel non: Priori casu collatio invenit locû; imputatur enim militia, quam filius ex pecunia paterna habet mortis ejus tempore, in legitimam, exceptâ militiâ silentiariorum, qui in Palatio, vel Consistorio Principis excubias agunt. *l. 20. prin. vers. quod tum in aliis. C. b. t. l. 30. §. 2. C. de inoff. test.* Quæ autem filio imputantur in legitimam, illa etiam conferuntur. *d. l. 20. prin. vers. quod tum in aliis.* Quamvis hæc regula non sit perpetua; nam quæ liberis à patre relicta sunt testamento,

testamento in legitimam imputari constat, non tamen conferuntur. *l. 10. l. 16. C. b. t.* Posteriori autem casu, quando munus illud pecuniâ patris comparatum, vendibile & in hæredem transmissibile non est, collatio cessat. *dd. LL.*

XXVI.

Prætereà non confertur lytron, sive redemptionis pretium, quod pater pro filio ab hostibus capto solvit. *l. 17. Cod. postl. revers.* Longè diversa ratio est ejus, quod pater pro filio ex delicto condemnato solvit, nam sive patris defuncti voluntatem æstimamus, odium delicti interpretationem honoris non admittit, quasi pater voluerit, id quod occasione delicti ab eo patri solvit, filium præcipuum habere, quum in altero casu justa miseratio tristis casus benignam interpretationem non excludat; sive juris rationem consideramus, ad redimendum ab hostibus filium, & succurrendum contra injuriam casus, pietatis jure pater tenebatur, non etiam ad eum justæ pœnæ subducendum.

XXVII.

Conferunt porrò bona liberi, quæ habuerunt tempore mortis paternæ, deducto ære alieno, *l. 2. §. 1. ff. b. t. l. 6. C. eod.* Non quæsitæ post mortem, ideirco nec legata, nec fideicommissa, testamento, vel ab intestato, liberis relicta à patre collationem admittunt, *l. 20. C. eod.* Sed hîc non ineleganter quæritur: An filius, cui sub hac conditione legatum est relictum, cum morietur pater, hoc legatum conferre debeat? Et affir. in *l. 1. §. 18. ff. b. t.* Ratio est: Quia momentum moriendi tribuitur vitæ, non morti: qui enim moriuntur, dum moriuntur, vivi sunt. *l. 18. §. 1. de manumiss. test. Gell. lib. 6. c. 13.* Diversum obtinet in casu, quo filios à patre hærede instituto, & ex testamento fideicommissum gravato sub conditione, si diem suum obierit, fideicommissum relinquatur; nam illud demùm per mortem patris confirmatur, & perinde est, ac si demùm post mortem patris fideicommissum relictum esset. *l. 1. §. 19. ff. b. t.* Et hæc regula: Bona non conferri post mortem patris quæsitæ etiam obtinet in iis, quæ post mortem demùm patris debebantur, sed præproperè, vivo patre, sunt præstita. *l. penult. ff. b. t.* Vitiatur verò illa regula, ubi quod post mortem patris acquiritur, jure

liminii fingitur acquisitum ante mortem, *l. 1. §. 13. ff. h. t.* nam recuperatum veriùs, quàm acquisitum, intelligitur. Cessat etiam, ubi post mortem acquiritur, sed ex causa vetustiore, putà ex contractu conditionali: secùs si ex legato conditionali; quia in contractibus conditio retrahitur: in legatis verò non item. *l. 2. §. 3. ff. h. t.*

XXVIII.

Haftenus de efficiente & objecto collationis, sequitur forma, h. e. ratio, seu modus collationis faciendæ. Ex duplici modo conferendi, re scil. ipsâ, seu cautione, duæ species collationis oriuntur: Realis & cautionalis, quibus additur tertia ex his mixta. *l. 1. §. 9. & §. 11. ff. h. t. l. 1. §. 7. ff. dot. collat.* Realem collationem voco, actualem illam bonorum propriorum in communem parentis, cui succeditur, hæreditatem, contributionem, quâ fratres vel sorores bona à parente profecta, cum fratribus & sororibus ipso facto communicant, *d. l. 1. §. 11. h. t.* Ad hanc collationis speciem proximè accedunt modi conferendi sequentes. I. Cùm quis fratrem patitur tantum præcipere ex bonis paternis, quantum ei conferre debet. *l. 1. §. 13. ff. h. t. l. 5. C. eod. l. 43. §. 1. vers. sicut in collat. ff. de ad. tut.* II. Cùm nomen paterni debitoris delegat. III. Cùm fundum, remve aliam dat pro portione bonorum, quæ conferre debet. *d. l. 1. §. 12. h. t.* IV. Cùm eos, quibus conferre debet, à necessitate aliquid præstandi liberat. *l. 2. C. eod.*

XXIX.

Sed an rei æstimationem offerre sufficiat, an res ipsa in specie conferenda sit, inter Doctores non convenit. Ego in eorum sententiam concedo, qui regulariter rei æstimationem non sufficere ad liberationem, sed præcisè rem ipsam conferendam arbitrantur. Sic sentit Vinnius in *tract. suo de collat. cap. 16. num. 3.* suæ assertionis rationem reddens hanc: quia ipsa corpora & species, quæ in bonis parentum manserunt, divisioni subjiciuntur, quare rationis videtur esse, ut vicissim species ipsæ, quæ datæ sunt, in commune conferantur, nec ad liberandum sufficiat dari æstimationem. Unde si liberi numeratam pecuniam à parentibus acceperint, collationem quoque, sive imputationem in pecunia parata fieri, æquitas postulare

stulare videtur. Cujus rei hic effectus est, ut pecunia numerata, in parentis hæreditate reperta assignetur liberis, qui nihil antè acceperunt, usque ad exæquationem ejus summæ, quæ à cohæredibus conferri debet. *Carpzon. jurispr. forens. p. 3. const. 11. def. 30.* Verùm, ut nulla regula tam firma, quæ jure non suas patiatur exceptiones, *l. 1. ff. de R. J. omnisque definitio in jure sit periculosa, l. 202. ff. eod.* ita decisio tradita nonnunquam deficit, & æstimationis præstatio admittitur, I. Cùm pars ea, cui collatio facienda est, loco rei conferendæ æstimationem ejus sponte suâ acceptat, cumque ea acquiescit, *arg. l. 1. §. 12. ff. b. r.* nam & aliàs aliud pro alio consentiente creditore rectè solvitur, *princ. Inst. quib. mod. toll. oblig. l. 17. C. de solut.* II. Cùm rem conferendam, is cui conferendi necessitas incumbit, bonâ fide alienavit, ita ut in specie conferri non possit, quo etiam casu, facta temporis illius reputatione, quo collatio petitur, æstimatio sufficit. *fac l. 39. §. 1. ff. famil. erisc.* Nec tamen abs re est, quod Vinnius monet, *d. tract. c. 16. num. 4.* si res vendita proponatur post mortem patris, conferendam esse eam summam, quæ pro re accepta est, propter jus, quod jam cohæredibus acquisitum erat. III. Denique æstimatio vice rei rectè fungitur, cùm ex rei ipsius in commune collatione non levi injuriâ ac damno conferens afficeretur, veluti si studiosus conferre deberet libros, in quibus jam diuturno usu & tractatione memoriam localem sibi comparavit, *Bald. in l. Maced. §. Cod. de Sc. Maced.* quia sicut militi in executione non debent auferri arma, ita nec libri Scholaribus. *Schneid. ad §. quedam actiones num. 52. l. de act.*

XXX.

Et sic re ipsâ fit collatio. Cautionalis collatio est promissio, sub certa fidejussoria, seu pignoratitia cautione de collatione facienda, cùm frater vel soror, fratrem vel sororem de bonis conferendis securum facit, datis fidejussoribus vel pignoribus. *l. 1. §. 9. ff. b. r. l. 20. §. videamus. ff. de bon. possess. cont. tabb.* Et huic collationi locus est, cum certò non constat, an aliquid conferendum sit, estque collatio impropriè dicta, quia propriè non confert, qui de conferendo cavet. Committitur autem hæc cautio sive stipulatio, ut etiam infra dicemus, cùm interpella-

tus post aliquod spatium, quo potuit conferre, non contulit, proinde in tantam pecuniam, quanti ea res erit, condemnabitur. *l. 5. §. fin. ff. h. r.* Id animadversione dignum, quod hæc cautio, quamvis prætoriam sit, tamen non fidejussoribus tantum, sed & pignoribus expediri possit, cum alias Prætoriam satisfactiones personas desiderent pro se intervenientium, pignoribus autem fieri nequeant. *l. 7. ff. de stip. prat.* Qui propter inopiam & rei familiaris angustiam fidejussorem non invenit, nec pignora dare potest, ejus portioni curator constituitur, apud quem reflecta pecunia collocatur, ut tunc demum recipiat, quod redactum est, cum bona propria contulerit. *d. l. §. 10. l. 2. §. ult. ff. h. r.*

XXXI.

Fuerunt collationes puræ. Mixta est, quæ divisione & cautione simul perficitur, h. e. cum quædam dividuntur; de quibusdam cavetur, *d. l. 1. §. 11. ff. eod.* quod fieri solet, cum partim constat, quid conferendum sit, partim ambigitur: tunc enim bona ea, de quibus conferendis nulla est dubitatio, actualiter inferuntur: pro reliquis autem, de quibus non constat, cautio interponitur.

XXXII.

A forma collationis ad finem progredimur & effectum. Finis & Ratio, quæ initio Prætozem movit, ad bonorum collationem introducendam, contra tenorem juris civilis, fuit compensatio, & retributio duplicis injuriæ, quæ ab emancipatis à Prætoze ad bonorum possessionem contra tabulas admissis integri juris filiis & hæredibus inferebatur, de qua re supra pluribus. *thes. IV.* Et hic erat finis, ad quem jure veteri introductio collationis à Prætoze facta, collimabat: Postea, cum in successione bonorum paternorum, quæ fiebat ab intestato paulatim par omnium liberorum ratio esse cœpisset, ad hanc æqualitatem inter liberos servandam, sensim jus quoque collationis attenuatum est, & tandem tractum etiam est ad successionem ex testamento. Æqualitas ergo inter liberos finalis causa est collationis, *l. 17. C. h. r. l. fin. C. comm. utr. Jud.* æqualitatem cum dicimus, non arithmeticam intelligimus, quâ præcisè unusquisque liberorum ex hæreditate paterna tantundem accipit, h. e. nec plus, nec minus, quam alter, etiam eo casu, quo pater

pater testamento condito, liberos inæquales jus sit habere por-
tiones: sed Geometricam, quâ quilibet pro parte sibi relicta,
de bonis à defuncto parente relictis, & à fratre collatis, æqua-
liter ac proportionaliter participat.

XXXIII.

Effectus collationis est, quòd bona illa, quæ antea hæredita-
ria non fuerunt, factâ collatione, fiant hæreditaria, & inter hæ-
redes ex æquo dividenda. Sed & illud collatio operatur, quòd
bonis in communem hæreditatem illatis, conferentes effica-
citer exercere possint actiones hæreditarias, *l. 11. & seq. C. eod.*
quæ, quòd minùs competant, ne pacto quidem effici potest,
quamvis testamento paterno possit, *l. 15. Cod. de pact. l. 35. §. 1.*
ff. de inoff. test. l. ult. ff. de suis & leg. hered. l. 4. l. 7. C. h. t. unde
pactum illud dotalibus instrumentis insertum, quo filia dotem
à patre accipiens, juramento interveniente bonis paternis re-
nuntiat, si dotem conferre parata sit, invalidum est jure civili,
l. 3. C. h. t. junct. l. non dub. est. Cod. de LL. l. 94. ff. de acq. hered.
l. 4. C. de inut. stipul. quamvis, si nec vi, nec dolo extortum sit,
hodiernis moribus, tam in Germania, quàm Gallia inter No-
biles hoc pactum sit receptissimum. *Gail. 2. obs. 39. num. 22.*
Myns. 1. obs. 36. & cent. 2. obs. 7. idq. propter c. quamvis de pact.
in 6. cap. cum contingat. X. de jurejur. Ex dictis sequitur, quòd filia
morte patrem præveniens, renuntiatione suâ non præjudicet
liberis suis supersticibus, si conferre velint, quòd minùs avitæ
hæreditatis capaces sint. *arg. l. 6. ff. de Injust. rupt. l. 5. ex patronis*
§. 1. in fin. ff. de bon. libert. Covarr. in C. quamvis. p. 3. §. 2. num. 4.
de pact. in 6.

XXXIV.

Ordo nunc requirit, ut quibus juris remediis, aut cavere &
conferre nolentes ad collationem adigantur, planum faciamus.
I. Denegando ei actiones hæreditarias (hæreditatis petitione,
in officiosi querelam &c.) donec consilium mutet, quasi ipsi bo-
norum possessio data non esset: aut hanc ei denegando, si non-
dum data est. *l. 2. §. ult. l. 3. pr. ff. h. t. l. 11. l. 12. l. 14. l. 16. C. h. t.* II. Sed
& implorato judicis officio ad collationem compelli potest, si
in possessione rerum hæreditatarum constitutus non opus ha-
beat hæreditariis actionibus, & idè conferre supersedeat. *l. 8.*

125
C. b. t. l. i. ff. de jur. dot. III. Si quis caverit de bonis conferendis, sed cautioni non steterit, ex ea stipulatione potest conveniri, & in tantam pecuniam condemnari, quanti ea res est. l. 5. §. ult. ubi Cujac. ff. h. t. Non tamen statim quis ex satisfactione sua conveniri debet, sed indulgendum est ei aliquod temporis spatium, intra quod collatio fieri possit. l. 105. ff. de solut. l. pen. ff. de cond. trit. IV. Agenti quoque objici potest exceptio, nisi conferat, quæ impedit litis ingressum, Wesenb. parat. eod. num. 6. quod si sine exceptionis objectu admissus sit agens, & divisio cum ipso facta, poterit nihilominus postea, officio judicis implorato, collatio peti. l. 8. C. eod. Officium autem judicis tum demum requiritur, si Vinnium audimus, d. tract. c. 17. si adhibito iudice divisio facta proponatur. Cæterum si omisâ per errorem collatione sine iudice facta sit divisio, tunc putat collationem postulantibus competere conditionem indebiti; quia quantum, qui non contulit, conferre debuit, tantò minus fratres de rebus paternis illi debuerunt: quo fit, ut si amplius illi datum fuerit, indebitum solvisse fratres intelligantur, fac. l. 10. §. 1. ff. de compens. l. 5. §. penult. ff. de imp. in rem dot. fact. l. 36. circa fin. ff. famil. ercisc.

XXXV.

Unum adhuc restat, ut contraria collationis in apricum producam, contrariorum nomine intelligo ea, quæ quovis modo collationem impediunt, eamque faciunt cessare. Impedit collationem I. Renuntiatio seu abstinentia hæreditatis paternæ: si quis enim liberorum parentis ejus, de cujus successione agitur, hæreditatem non affectet, dubio procul ad collationis onus non adigitur, etiamsi ex codicillis parentis illius fideicommissum capiat, l. 1. §. 6. l. 2. §. 5. ff. h. t. l. 10. l. 16. C. eod. l. ult. ff. de collat. dot. l. 23. C. famil. ercisc. quod tum demum procedit, cum liberi reliqui legitimam suam portionem salvam habent, ut dictum; aliàs suppletio ex bonis illis, quæ aliàs omisâ hæreditate conferri non deberent, ad modum legitimæ facienda est, per text. in auth. unde si parens Cod. de inoff. fac. t. t. Cod. de inoff. donati. II. Voluntas patris collationem fieri prohibentis. vid. sup. th. 11. III. Pactum hæredis remissorium, quo is, cui conferendum, juri suo renuntiat, & cohæredi suo conferendi necessitatem remittit. IV. Interitus rerum conferendarum: requiritur enim maximoperè ad collationem, ut bona conferenda existent, l. 2. §. 2. ff. h. t. quod si sine dolo & culpa perierint, ut dictum superius, ad collationis onus non pertinent. Et hoc ex illis verbis intelligendum est, quibus Prætor boni viri arbitrato jubet conferri bona, vir autem bonus non est arbitraturus, conferendum id, quod nec habet, nec dolo aut culpâ desit habere. d. l. 2. §. 2. ff. h. t.

Et hæc de ardua ac difficili Collationum materia, rudi minervâ elaborata, Doctorum examini sisto. Paratus vel refelli sine pertinacia, vel refellere sine morositate. Neque enim probavi unquam, aut probare potui præposteram eorum diligentiam, qui veris etiam rationibus convicti, cedere tamen in altercando nolunt. Disputationis nostræ finis Veritas, quam vel discere, vel oppugnatam defendere, laudi nobis speramus fore utrumque.


UNI DEO GLORIA.

Basel, Diss., 1666-69

ULB Halle

3


005 128 684



VD17







UGURALIS

TIONE
UM,

1666, 2
12

-OPT. MAX.
DECRETO
i Amplissimi
in perantiqua
URACORUM
ATE,

RE HONORIBUS
unitatibus
dis,

submittit,
HOPPE,

US.
ni M DC LXVI.
onsuetis.

COBI DECKERI,
graphi.